

turalis obligationis. Dare potum animalibus brutis, est perpetuae & naturalis obligationis, hoc enim, si non feceris, animalia pereunt, conseruatio eorum hoc praecipit. Obligatio sanctificandi Sabbathi, quae quietem praecipit, considerationi diuinorum operum, beneficiorum & officiorum nostrorum impendendam, est ex lege positiua, ceditque, quoties obligatio legis naturalis occurrit. Sic sanare aegrotum, est naturalis obligationis; conseruandi enim sunt homines, qui conseruari possunt. Sanctificare Sabbathum, & cessare a labore, est obligationis positiuae, ceditque obligationi naturali & perpetuae, qualis est sanatio aegroti.

§. XVIII.

Eandem obligationis indolem intelligimus ex uerbis Christi, quae *MATTH. XII.* legimus. Pharisaei redarguerant discipulos Christi esurientes, quod spicas auulserint, & comederint die Sabbathi *u. 1. 2.* Christus interrogabat eos, annon legerint, quod Dauid esuriens cum suis comederit panes facierum? *u. 3. 4.* Comedere panes facierum, pertinebat ad sacerdotes, iuxta legem Dei positiuam; sed cum lex naturalis praeciperet, ut Dauid eiusque socii famelici satiarentur, nullique panes alii adessent, cessit obligatio legis positiuae, & dedit locum obligationi legis naturalis, hinc panes facierum laicis prohibiti lege positiua, dati sunt laicis, iubente lege naturali. Hic denuo praeeptum positiuum cedit praeepto naturali, quod perpetuae obligationis. Eadem obligationis uis intelligitur ex uerbis Christi, quae *u. 5.* leguntur. Dixit Saluator; Sacerdotes diebus Sabbathi profanare Sabbathi praeeptum, quatenus cessationem a labore iniungit. Hi enim laboribus suis funguntur die Sabbathi, maculant enim

Obligatio Sabbathi.

Aproba
addit
idit
19

enim

3119